FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS...

Franz Ernst Bruckmann

Digitized by Google

60

FR. ERNESTI BRUCKMANNI, D.

EPISTOLA ITINERARIA LX.

SISTENS

SCIAGRAPHIÆ MUSEI BRUCKMANNIANI PARTEM ALTERAM

DE

ARTEFACTIS.

AD

VIRUM PRÆSTANTISSIMUM, CLARISSIMUM ATQUE DOCTISSIMUM

DOMINUM,

DOMINUM

JOH. WILH. KRETSCHMANNUM,

MEDIC. LICENT. &c.

WOLFENB. MDCCXXXVII.

Digitized by Google

VIR PRÆNOBILISSIME ATQVE DOCTISSIME,

FAVTOR ET AMICE ÆSTVMATISSIME!

P*Ars ſecunda muſei* noſtri, *Vir celeberrime, res* tantum *artificiales* monſtrat, huius *Claſſis prima curioſa mathematico - arithmetica*, v. g. Baculos arithmeticos, &c.

IIda Geometrica, nempe calamos graphicos, lineis ducendis delineationibusque geometricis inſervientes, vitreos & metallicos; Menſulam Prætorianam; corpora ſtereometrica varia ex charta multiplicata & glutinata, quam bibliopeji Pappe vocant, concinnata, &c. continet.

IIItia Optica, nempe Polemoſcopium ſeu tubum catoptrico - dioptricum, Krieges-Perſpectiv, Bataillen-Kucker. Tubos opticos. Binas lucernas magicas, cum CC. imaginibus in vitro pictis. Cameras obſcuras, majorem & parvam ſeu oculum artificialem, conſtantem ex lente optica convexa & vitro ſemipellucido. Speculum cylindricum & conicum metallicum; it. cylindricum ex glacie Mariæ, cui folium ſtanni Anglicani, quod Spiegel-Folie vulgo audit, ſuppoſitum, cum variis ad hæc diſtractis in tabulis ligneis pictis imaginibus. Specula anamorphotica plano-convexa ad deformanda objecta,

majo-

Digitized by Google

majora, longiora & latiora reddenda, enormiter magna exhibenda, vel in longum & latum dilatanda, quæ v. g. minutiſſima in facie humana, cutis ſtructuram ſummo rugoſam, pororum cavitates hiantes, pilorum funes diſtinctiſſime & multum exauctos, non ſine ſtupore inſpicientium, exhibent. Specula illuſoria, Vexier-Spiegel, ex duabus & tribus imaginibus diſciſſis & diſtractis compoſita. Vitra cauſtica. Microſcopia varia. Globulos vitreos aqua repletos pellucida, objecta, microſcopiorum inſtar, majora reddentes, cum manubrio vitreo. Helioſcopium. Perſpicilla varia. Lentem polyedram ſeu polyoptram cavam, in cujus planam ſuperficiem ſeptem cavitates rotundæ per polituram cum clavo ferreo inductæ, quæ juncta eſt tubo optico minori, Perſpectiv mit einem Polyedro. Cameram catoptricam, in qua quatuor ſpecula plana ſitu parallelo ſibi invicem oppoſita nuptias Canæ Galileæ cum Servatore hominum, matre filii Dei, ſponſo & ſponſa, multisque ad hoc convivium vocatis convivis in pluribus menſis, ferculis variis onuſtis, ſedentibus, jucunde monſtrant. Perſonæ omnes ex cera ad vivum factæ, licet minores; mobiles ſunt, movent nempe ad certum Symphoniæ muſicæ inſtrumentalis ſonum oculos, manus, bracchia, quaſi colloquentes; adſunt ſex hydriæ & alia vaſa lignea, vitrea nec non eburnea, plures ex famulitio, canicula latrans & caudam motitans, &c. Theatrum catoptricum, quod in tribus majoribus ſpeculis, parum concavis, ordine poſitis, varias parvas icunculas cereas humanas, nudas & veſtibus ornatas, in magnitudine naturali, nec non alias picturas minutulas, quæ pro lubitu objici poſſunt, repræſentat. Priſma triangulare, arcum cœleſtem exhibens, cryſtallinum & viride vitreum. Vitra polygonia. Projectiones opticas longinquas monſtroſas imaginum cervi, equitis, militis. Ciſtas perſpectivo-ſciatoptricas, quæ viridaria cum areolis, arboribus, ſtatuis, piſcinis, aquis cadentibus & ſpeluncis amœnis, vulgo Grottis, nec non Parnaſſo, in quo

)(2 Apollo

Digitized by Google

Apollo cum Muſis inſident, ſecundum perſpectivam, oculis non ſine animi peculiari delectamento offerunt, &c.

IVta Aſtronomico - Geographica, nempe Globum cœleſtem & terreſtrem; Calendarium Sinenſium cum figuris impuris & Venereis; perpetuum orichalceum rotundum; it. in charta volubili longiori aliquot ulnarum æri inciſum, &c.

Vta Gnomonica, nempe Horologium potatile planum ligneum ſolare; horologium ſtellare, Nacht- oder Sternen-Uhr, ꝛc.

VIta Mechanico-ſtatica.

VIIma Hydroſtatica, nempe libellas hydroſtaticas ex vitro, ligno oleo cocto, cornu, ſuccino confectas, in gradus diviſas; Siphones vitreos varios; Viſier-Stab, ꝛc.

VIIIva Aërometrica, nempe varia Barometra, Thermometra, Hygroſcopia, Hygrometrum, in quo angelus gradus ſiccitatis & humiditatis monſtrat. Machinam tempeſtatum Hamburgenſem, Hamburgiſche Wetter-Machine, ex libro arboris ſiccato confectam & capſulæ incluſam, quæ vero minime titulum Machinæ meretur; ſic dictam domum tempeſtatum, Wetter-Häußgen, in qua virgo & juvenis proſilientes ſerenitatem & tempeſtatem indicant, &c.

IXna Hydraulica, ollas, pocula aliaque vaſa vitrea & ex argilla cocta illuſoria, Pilas Heronis vitreas variæ capacitatis; Statuam Veneris aquas per orificia pudendorum, mammarum & oris ſalientes exhibentis; ſtatuam Neptuni aquam ex ore & tribus tridentis, in manu dextra erecti, orificiis eructantis, inſidentisque ceto, qui quoque ex ore & oculis exſilientes habet aquas; ſtatuam viri aquam ex ore, binis oculis, auribusque binis evomentis, &c.

Xma Anatomica, nempe oculos artificiales ex fluore vitreo colorato, Schmeltz-Glaß, ignis flammis Noribergæ eleganter conflatos, quibus, loco oculorum natura-

turalium caſu, cancro, variolis aliisque morbis deperditorum, chirurgi ingenioſi & ophthalmici orbitas ſcite explent. Oculum artificialem, pro partibus oculi, tunicis, nervis, vaſis, humoribus demonſtrandis, ex ebore, cornu & vitro nitide paratum. Aurem artificialem eburneam, a Doct. Frid. Hoffmanno, Æſculapio Hallenſium præſtantiſſimo, inventam, ad demonſtrationem partium & organi hujus nobiliſſimi ſtructuræ in- & externæ. Exemplar ſtatuæ ligneæ muliebris gravidæ in dorſo decumbentis, quam anatomice in membra ſua, ad demonſtrationem viſcerum partiumque internarum ſitus, dividere & dislocare poſſumus, &c.

XIma Chirurgica, v. g. Scopulum ſetaceam ventricularem ſeu excutiam ventriculi, &c.

XIIma Phyſica, nempe Vitrum elementare, in quo ordo elementorum, quem in natura hæc habere dicuntur, per certos liquores diſtinctas regiones conſtituentes, exhibetur. Phoſphorum Anglicanum ſolidum in tenebris lucem de ſe ſpargentem. Pulverem fulminantem & tonitruantem. Pluviam chymicam Lacrymas & globulos vitreos; Diabolos Carteſianos ex vitro colorato artificioſe conflatos, diverſarum icuncularum, c. & ſ. globulis vitreis. Tubam ſtentoro phonicam ex laminis ferreis deductis ſtannoque inveſtitis confectam. Tubos acuſticos majores. Plana Boyleana ſeu orbes ex alabaſtro cinereo, **Land-Charten-Stein** dicto, in duo hemiſphæria diviſos & exacte politos; Sclopetum anemium ſeu pneumaticum; urinatorem, &c.

XIIItia Architectonica nempe Proplaſma furni fuſorii Hercynici, it. furni parcendo ligno admodum idonei. Typum ligneum metalli fodinæ, officinæ ærariæ & conflatorii Hercynici, perſonis ad labores varios in his peragendos additis, nec non machinis, rotis, furnis & reliquis; in qua machina circumrotata omnia ſe movent, ſingulæ perſonæ laborant, imo cuncti metallici, inſtrumentis debitis inſtructi, opus ſuum ſtrenue peragunt. Exem-

X 3 plar

Digitized by Google

plar navis militaris & Grönlandicæ? ſcalæ cochlidiæ artificioſe duplicatæ; &c.

XIVta Curioſa artificialia miſcellanea, nempe Burſam Tabacinam & acinacem falcatum Turcarum. Sagittas veteres ferreas Tartaricam & Turcicam. Fomites igniarios, **Lunten**, Anglicos, qui, igne inflammati, globulos parvos metallicos ex ſe fundunt. Servatorem in cruce ex ſuccino varii coloris artificioſe confectum. Infantem nec non varios fructus ex cera eleganter & ad vivum conflatos.

Calamos ſcriptorios Indicos ex arundine cum ſuis penicillis. Epiſtolam Turcico idiomate ab Imperatore exaratam, literis arena aurea conſperſis. Chartam Sinenſem variam ex ſerico albo; ex folliculis bombycum adeo tenuem, ut ſaltim una iſtius plaga literas & figuras admittat; ex libro arborum ſubtilem ſubflavam & albicantem; ex interiore cortice Bambucino vel medulla arboris cujusdam; ex goſſypio, **Baumwollen-Pappier**. Chartam regiam fumidam, **Königl. Rauch-Pap.** quæ ſuper candela ardente poſita optimos exhalat odores; Asbeſtinam Hungaricam & Turcicam, incombuſtibilem. Atramentum Sinicum varium ex ſanguine atro piſcis Sepiæ cum brodio oryzæ paratum. Laccas ſignatorias varias Indicas, virides, flavas, brunnas & auri miculis mixtas. Herbarium pictum & vivum. Fructus varios arte ex vitro & alumine paratos. Burſam luſoriam, **Vexier-Beutel**. Pixidem Tabacinam illuſoriam, **Vexier-Doſe**, ex marmore Salisburgenſi, quæ non poteſt aperiri; aliam ex ligno olivario, quæ aperta ſeipſam, mediante elatere chalybeo, iterum ſtatim claudit & digitos, Tabaci pulverem affectantes, premit. Leonem & librum clauſum ex terra Colonienſi pro capſula Tabacina; Moſcowiticam ex ligno Buxi; Bononienſem ex parva cucurbita; calceum nigrum minutum ex corio capſellam Tabaci exhibentem; vaſa Tabacina ex chela majori gamari marini; ex vitro variegato, quaſi marmorato, optimorum colorum; ex vitro lacteo, figuris picto,

Digitized by Google

pictо, pyxides pulveris pyrii repræſentantia. Machinas fumiductorias vitreas, porcellanas minores, coriaceas ad clyſteres Tabacinos ; argillaceas vulgares cum tribus, quinque, ſeptem & duodecim capitibus; it. Sirenis facie, it. ex terra ſigillata rubra inſtar cornu veredariorum, it. inſtar ocreæ; ligneas Hungaricas cum variis capitibus; Turcicas longiores, quas, dum ſedentes vel ſtantes Tabaci foliorum fumum hauriunt, ex ore in terram prorſus dimittunt. Radulam Tabacinam illuſoriam tribus clauſtris lignis firmatam. Vaſa varia ad potum Thée & Coffé ex terra ſigillata Sinica & Europæa, ex lapide ollari Helvetico, ex Galactite, Schmeer-Stein dicto, &c. Machinam ferream politam, cujus ope examen accuratum pulveris pyrii inſtituitur, ut ſciatur, quam pulvis pyrius alterum, virtute, bonitate & viribus, nec non vehementia, ſuperet. Flabellum Japonicum ex coſta ſartoria cum ſtellulis rotantibus, quo Japones ad ventum faciendum utuntur, artificioſiſſime confectum ; Ceylanicum ex arundinis foliis; Sinenſe pictum ex charta finiſſima & arundine Hiſpanica, quod ex binis lateribus aperiri poteſt, quorum vero alterum latus figuras Venereas in apricum ducit; it. quale Nobiles Viennenſes tempore æſtivo in hortis & amphitheatris in uſus, ad aërem commovendum, trahere ſolent; it. quale ſimul umbraculum pro candelis eſt. Ludum Grillen- oder Gedancken-Spiel dictum; it. Eulen-Spiel vocatum, cum globulis eburneis; latrunculorum; conorum ex Elephantis dente tornatorum, qui, ope automati, ſe ipſos erigunt, &, elatere ſtylo compreſſo, manu quadam globulo eburneo inſtructa, iterum deponuntur. Monachum ligneum in monacha, & in illo atramentarium. Numiſma argenteum, quod igni traditum, ſignum, quod Conſtantino M. Imperatori in nubibus apparuit, cum literis: in hoc ſigno vinces: videndum offert. Fila & linteum ex nervis foliorum Aloës aculeatæ majoris a Dom. Weichmanno, pharmacopola Ratisbonenſi, præſtantiſſimo, confecta; Notum eſt cunctis,

Ame-

Americanos Aloës ſuæ fibrillas foliorum, poſt macerationem & carnis ſeu pulpæ putredinem, in fila tenuare & texendo in ſpecioſa vertere corporis indumenta. Panem Indorum. Sojare Ruſſorum; non fermentatum Judæorum; panes St. Marci Erfurtenſes; febrifugos varios monachorum Auguſtinorum; Nigritarum ex dactylis, &c. Arborem Dianæ ex argento cupellato. Figuras & parvas ſtatuas ex Lipoite Indico pingui ſeu lapide lardi eleganter fabricatas. Capſulam ex ligno tornatam, cum faſciis orichalceis circularibus, illuſoriam, ad certas tantum lineas aperiendam. Icunculam Chinenſis Idoli, ex lapide corneo colorato duriſſimo. Globum vitreum, in quo tornator in ſella ſedens, ope automati cum filo, infantes in monopodio tornatura artificioſe efficit. Par calceamentorum ligneorum, quæ Sinenſes tempore anni calidiore, & quando ad rivos lintea lavant, pedibus nudis per corrigias ſeu lora annectunt; Bohemicorum ex arundine; Bavaricorum ex ligno; parvorum ex ſuccino flavo pellucido; Moſcoviticorum ex corio Juchten dicto; Lapponicorum ex libro albo viminali textorum; Turcicorum cum ocreis, &c. Cultros diverſos, Hungar. Moſcovit. Suedicos, ſingulari modo tecte occluſos & ope claviculæ parvæ aperiendos; graphariûm, quo una ſectione calamus paratur; in cujus manubrio eſt pyxis nautica cum acu magnetica. Baculos, quibus Sinenſes in menſa, loco cultrorum, utuntur, & quibus oryzam nec non reliquos cibos in os accurate injiciunt. Exemplar currus parvi, duabus tantum rotis inſtructi, quem Carriol vocant, qui, quando quis in eo vehitur, ſimul cum rutro vias a gramine purgat, cum cylindro complanat nec non cum raſtro ferreo deoccat, quisquiliasque removet, & ſic, præter delectamentum, una fidelia tres utiles & neceſſarios in hortis perficit labores. Numeratorem paſſuum, Schritt-Zehler, ex orichalco cum automato, qui, nobis non advertentibus, paſſus noſtros notat & in variis gnomonibus accurate ad oculum demonſtrat. Colum

lum elegantem ex ligno & orichalco, quem mulieres non opus habent pedibus calcare, ſed ſaltim manu rotare. Machinas tres ad commodiorem trituram aptiſſimas, pluribus tribulis inſtructas, quarum una, ex noſtra inventione, perticas ſuas ad tactum muſicum cum harmonia in frumenta flagellat. Vitra cum orificiis valde anguſtis, in quibus gyrgyllus & rhombus cum filis in colo prius ductis artificioſe intus exhibentur. Vaſculum vinarium candela fumante officinarum pharmaceuticarum in plures circulos ſerpentino tractu per totum vitrum ductos diſciſſum. Acetarium auro colore rubro pictum, ex cryſtallo montana. Vitra vinaria & cereviſiaria illuſoria, bibentes madefacientia. Saponem Turcicum & Bethlehemiticum. Annulum trinitarium ex filis æneis. Annulum magneticum ſeu fortunæ Avicennæ; hic, in digito geſtatus, in morbis malignis venenum attrahit & niger fit; quare in peſte & affectibus peſtiferis contagioſis, apoplexia, paralyſi, podagra, chirag. aliisque morbis arthriticis laudatur. Quamdiu homo, qui iſtum in digito habet, ſanus & incolumis vivit, tamdiu colorem ſuum aureum retinet; quando vero valetudine adverſa corripitur, ſplendorem momento citius mutat & nigritie tingitur. Tabulas chryſite, Gold-Glaſur, Dom. Stollens Lipſ. & Doct. Neuenhans Caſſellenſis inductas, quæ, ſole radiante illuminatæ, optimos ſplendentes & aureos & arcus cœleſtis colores, oculis intolerabiles, exhibent. Nucem avellanam mediocrem, duodecim diſcos ligneos, Teller, & conorum ludum comprehendentem. Icunculam virginis Mariæ ex topho ſpadiceo thermarum Carolinarum. Tabulam quadratam ex ramentis lignorum ſubtiliſſimis, Säge-Spänen, a Doct. Beyer, medico Cahlenſi & hujus ſcientiæ inventore, artificioſe conglutinatam & confectam. Vitra foſſilia veterum cœrulea & viridia. Vitrum Turcicum in filamenta tenuia & longa colo deductum. Induſium Grœnlandorum ſeu Capiſſel ex inteſtinis canis marini ſiccatis

Digitized by Google

ſubtiliter conſutis confectu. Crepundium gentile rariſſimum, Klapper-Büchſe, cum quinque globulis argillaceis, ex urna quadam Sileſiaca. Cloſtrum pudicitiæ Ital. Aratrum Locatelli. Cervum cum automato, qui in motum clave actus, lineas rectas & circulares, majores & minores, dextrorſum & ſiniſtrorſum, mire currit. Capſellas ligneas & eburneas pro muſcis, culicibus & pulicibus captandis, &c.

XVta Numiſmata quædam aurea, argentea, ærea, ferrea, plumbea, metallica, ſulphurea, gypſea &c. notari meretur nummus magicis characteribus inſignitus, ex ſeptem metallorum mixtura conflatus, ein Hexen-Thaler; Taliſman ex Saturno literis Arabicis totus inſcriptus, in ſoda ardente, ut amuletum, commendatur, &c.

XVIta Curioſa eccleſia Romano - Catholicæ præbet, nempe Roſarium ex ligno aurantiorum tornatum, cum icuncula Mariæ de Loretto, quam quoque attetigit, a Pontifice Clemente ultimo benedictum it. ex ligno ſolari, Sonnen - Holtz, (quod eſt viſci quercini Hungarici ſpecies) in ſingulis ſphærulis bini ſoles radiati, dum lignum tornatura in globulos formatur, in apricum veniunt. Sphærulas precatorias, in quibus cuncta paſſionis JESU Chriſti inſtrumenta pendent; it. ex lacrymis Jobi; ex ligno Granatorum; ex Achate, ex coralliis vitreis &c. conſtantes partim ex tredecim, partim ex pluribus quam centum, globulis, majoribus & minoribus. Cereos benedictos, qui parturientibus, neonatis & moribundis prodeſſe dicuntur. Linguam Johannis Nepomuceni ex lamina orichalcea. Calicem, in quo ejusdem lingua, ex dicta lamina. Cryſtallum vitream rubram, in qua Evangelium St. Johannis continetur; infantibus contra veneficia appenditur. Umbilicum marinum vulgarem, Aug - Stein vulgo vocatum, cum dicto Evangelio; amuletum in oculorum affe-

Digitized by Google

affectibus deprædicatur. Annulos varios. Amuletum ſeu annulum ſtanneum cum effigie Salvatoris, Mariæ & Joſephi, ſacroſanctum. Cruces tempeſtatum Hiſpanicas, Spaniſche Wetter-Kreuze, quæ tonitrua & procellas certo avertere ſuperſtitioſe creduntur; & varias alias cruces metallicas. Cruces contra vertiginem, Schwindel-Kreuze, ex vitro cryſtallino varii coloris conflatas. Crucem corneam, quam Papa Romanus manu propria palpavit & tetigit, quare contra omnis generis morbos, potui indita, ſecurum & ſalutare traditur eſſe remedium. Nummos varios indulgentiarum, Ablaß-Pfennige, metallicos, ſubtiles & craſſiores, variæ magnitudinis, cum diverſorum ſanctorum aliarumque rerum ſacrarum imaginibus, rotundos, ovales, cordiformes, quadratos, octangulares & alius formæ externæ. Nummos St. Benedicti varios, Benedicten-Pfennige. Herbam ad ſuffitum, Räucher-Kraut, Mariæ Cellenſem, quæ contra ſpectra & veneficia, dum fumus iſta fugat, laudatur; eſt ſpecies Antirrhini cum capſulis ſeminalibus, caput mortuum quadantenus referentibus, ſiccati & a monachis ibidem benedicti. Varias reliquias ſanctorum burſulis & ſcatulis parvis argento, margaritis & aliis decoraminibus ornatis comprehenſas. Mariæ icunculam ex argilla; it. ex topho rubro thermarum Carolinar. item St. Jacobi de Compoſtella ex Gagate ſeu ſuccino nigro affabre elaboratam. Sic dictas glandes Bavaricas ligneas cum incluſis parvis ſtatuis Mariæ & Joh. Nepomuceni. Agnos Dei cereos variorum Pontificum, non unius magnitudinis, nec unius figuræ. Altare ex metallo parvum portatile cum duabus valvis. Corallia Johannis ſeu oculorum vitrea, Augen- oder St. Johannis-Corallen. Sericum crudum, album & rubrum, in templo divi Stephani Viennæ conſecratum, contra eryſipelata. Oleum St. Nicolai album in vitro pellucido

cordi-

cordiformi, hermetice ſigillato, incluſum. Panes ejusd. Sancti ſtellatos & rotundos, varieque ſigillatos. Vulnera quinque noſtri Servatoris ex ſtanno. Trecentos ſanctos menſtruos, Monath-Heilige dictos. Scapularia. Litamina varia cerea, manus, pedes, bracchia, mammas, infantes, virgines, oculos, &c. repræſentantia. Terram Ulricanam glires pellentem, &c. Hæc ſufficiant de ordine rerum in noſtro muſeo. Vale reliquum & fave. Scrib. Wolff. d. 13. Jun. 1737.

T. T.

deditiſſimus

Brückmannus, *D.*

99 548288

Digitized by Google

Digitized by Google